DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

[17

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROTHORACE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS BLENNERHASSETT,
HIBERNUS,
SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS
SOCIUS HONORARIUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

Quod potes, id tenta: nam littus carpere remis
Tutiùs est multò, quàm velis tendere in altum.

CATO, *Distich.*

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1805.

VIRO NOBILI,

THOMÆ MULLINS,

BARONI DE VENTRY,

AVO SUO DILECTISSIMO,

HASCE STUDIORUM

IN MEDENDI SCIENTIA

PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

NECNON,

PATRI SUO

OPTIMO, CARISSIMO,

RICARDO BLENNERHASSETT,

ARMIGERO,

HOC OPUSCULUM

EA, QUA PAR EST, PIETATE

D.D. C. QUE

AUCTOR.

To Dr Ogilvy with Comp.ts from The Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

Pauci forsan morbi, corpori humano funesti, medici attentionem potiùs sibi vindicarent quàm *hydrops*, cujus clades indies magis plorantur, quo ferè nullus latiùs sævit vel sæpiùs secum exitium affert.

Ex natura et functione partium quas occupat latex effusus, symptomata omninò varia exhibet morbus. Maximè autem patent effectus ejus horrendi, maximè diris malis sti-

patur, quando thoracis cavo insidet execrandus. Tunc audax aggreditur, "vires acquirit eundo," atque ad conficiendum ferè solùm grassari videtur. Miser! quem pro victima morbus selegit, vitam certè illætabilem perducet, inter mala maximè complicata eheu! versandus; mortemque citò optaturus, quasi solum remedium levamen daturum miseriis, ad quas æquo animo sustinendas, haud ulli inter mortales contingit.

Hanc hydropis speciem tractare conabor, sic à celeberrimo CULLENO definitam:

"Dyspnœa; faciei pallor; pedum œdemata; urina parca; decubitus difficilis; subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans*."

* Synops. Nosolog. Method. gen. 77.

HISTORIA MORBI.

Hydrothorax, hydropes alienos excipiens, haud rarò cernitur anasarcâ universâ stipatus. Morbus autem sæpè solus adoritur; et quoniam ubi hoc fit, optimè observanda sunt et progressus et symptomata huic malo propria, hoc exemplum, utpote justissimum ad morbum accuratè pingendum, selegam.

Ita tardus progressus, tamque lenia indicia quæ primò sublucent, ut utrùm necne morbus existeret, ad statuendum inprimis difficile sit. Inter sensationes primas ingratas, perceptio est anxietatis et ponderis versus imam sterni partem; neque diu manet hoc signum, donec vexat spirandi difficultas, primò post acclivitatis ascensum vel motum insolitum percipienda, posteà verò magis constans et molesta, præsertim per noctem evasura. Symptomata

nunc dicta excipit plerumque tussis frequens, initio sicca, mox verò mucum tenuem ejiciens. Insatiabilis sitit æger. Urina parca est et ruberrima, atque sedimentum copiosum deponit. Alvus est dura, rariùs autem fluit. Cutis arida et rigida fit; vultus pallet atque collapsus apparet; frigoris sensilitas insolita adest; pulsus frequens, debilis et irregularis est. Modò quidem in latus unum quàm alterum faciliùs recumbit ægrotus, modò lateri utrivis innitentem omninò effugit somnus. Tum quidem supinus, humeris elevatis, ad sopiendas miserias conatur, sed placida quies ferè negari videtur; nam si unquam oculos obsignet Morpheus benignus, misericordiâ commotus, Dei benevolentiâ haud diu fruitur, sed, subitò e somno excitatus, diris imaginibus exagitatum esse conqueritur æger. Cor immanè palpitat; dyspnœa vix toleranda, suffocationem instantem minitatur. Sic usque ad mane torquetur miser; tum demùm ærumnis levamen paulatim fertur, somnusque gratissimus sed nonnisi brevis defatigatum capit,

mala verò eadem iterum iterumque experiturum.

Hanc autem speciem haud diu exhibet morbus, donec tument (præsertim vesperem versus) pedes et crura. Aqua semper accùmulans, demùm in thorace fluctuare percipienda est. Nunc sensim ingravescunt varia symptomata: vultus, antehac pallidus, citò livet, aut colorem purpurascentem refert. Urget et palpitatio immanior magisque frequens. Somnus prorsùs alienus fit. Vires quàm maximè collabuntur. Dyspnœa sævissima et corpus semper erectum exigens, omne solatium spemque fugat. Denique, pulmonibus, ob motum eorum interpellatum, ad officia sua peragenda, parùm valentibus, mors optata, illudendi nunc pertæsa, miseri ærumnis, simul ac vitæ, finem imponit.

Indicia nunc enumerata sunt quæ hydrothoracem plerumque comitantur, formamque morbi perfectissimam constituunt: horum verò nonnullis interdum caret, dum alia ne-

que spernenda ostendit malum. Est ubi subita ex somno excitatio, ut et palpitatio, omninò absunt, etiamque sitis aliaque indicia febrilia. Latera dorsumque tumoribus externè prominentibus aliquando affici, nonnulli asseruêre; alii denuò scrotum intumescere, priusquam tentantur pedes et crura: morbum autem sic indutum, unquam vidisse CULLENUS negat.

Postquam verò morbus inveteravit, et scapula et brachium lateris unius, sæpè utriusque, interdum tument, torpent atque solvuntur, haud secùs ac membra paralysi laborantia. Ægrotantes itemque, priusquam extrema patiuntur, hæmoptysi aliquando corripi, ab experientia constat.

Quamvis ad extremum vitæ, sui compos plerumque manet æger, mortem aliquando præcedit delirium, ad interitum usque mansurum. Denique notandum est, ægrotos subitò interdum è medio tolli, nimirùm ante.

quam, ex latice effuso abundante, eventum funestum expectare fas sit.

SECTIO CADAVERUM.

UBI corpora hoc malo perempta scalpello subjiciuntur anatomico, semper conspiciuntur morbi effectus, sæpè causæ. Aqua thoracis cava utraque plerumque implet, interdum unicum. Nunc pericardium, nunc telam cellulosam quæ bronchia circumstat, rariùs bronchia ipsa, occupat. Effunditur etiam latex nonnunquam inter pleuram musculosque intercostales, ubi saccum cavo thoracis minimè patentem sibi format. Sacculi autem distincti, *hydatides* dicti, fluido scatere interdum reperiuntur: modò thoracis cavo innatant; sæpiùs verò alicui pleuræ parti nectuntur.

Pulmones quoque signa morbi plerumque ostendunt; moles eorum minuitur, et modò

inflammati, modò duri, modò flaccidi *, apparent; à pleura interdum omninò soluti, haud raró huic membranæ plùs minùsve adhærentes.

Cor sæpè æquo majus est. Nunc vasa coronaria, nunc vasa ipsa magna, in substantiam osseam vertuntur, aut aneurismatibus vel varicibus obsita inveniuntur. Hæc tamen morbida indicia minimè semper conspici fatendum est. Concretiones † magnæ polyposæ cordis cavis sæpissimè infiguntur; sed super harum naturam et originem, quoniam latè dissentiunt medici et adhuc sub judice lis est, silere forsan præstat.

Ventre patefacto, serum effusum plerumque invenimus. Hepàr tumefactum et induratum sæpè, interdum autem sanum, apparet. Lien quoque sæpè afficitur; modò forsan triplo

---

* MORGAGNI. de Causis et Sedibus Morborum, lib. ii. epist. xvi.

† Idem.

quàm par esset amplior cernitur, modò verò minuitur.

DIAGNOSIS.

Hydrothorax incipiens, ex aliis thoracis morbis haud facilè discernendus est.

Empyema maximè refert; sed ex hoc malo plerumque distingui potest, absentiâ febris hecticæ, quæ alterum comitatur, et palpitatione, subitâque excitatione quæ in hydrothorace ferè à principio torquent, in empyemate autem ferè nunquam. Empyema quoque pneumoniam sæpiùs excipere, quàm morbus de quo agitur, notandum est.

Morbus noster ex *asthmate*, dyspnœâ constante dignoscitur; ex *peripneumoniâ nothâ* et *phthisi* incipiente, potiùs notitiâ causarum ex

quibus proveniunt hæc mala, quàm ullis indiciis morbis ipsis propriis.

CAUSA PROXIMA.

In corpore animali inter varias mirandas structuras, inveniuntur vasa quædam quibus donantur officia maximi momenti. Tota corporis superficies, ut et membranæ quæ cava interna circumvestiunt, ductubus haud numerandis passim perforantur. Horum nonnulli (*Exhalantia* dicti) ex arteriis exorientes fluidum diaphanum, quo humectantur partes vicinæ, transmittunt. Alii (*Absorbentia* vocati) ad fluidum redundans resorbendum destinantur, et quæ continent ad ductum thoracicum vehunt. Hinc quidem, salutem ex actione idonea hæc inter vasa pendere, facilè patebit. Si enim vasa exhalantia plus fluidi effundunt, quàm absorbentia haurire valent, hydrops insequitur. Idem verò fit ubi quodammodo

afficiuntur lymphatica ipsa, àdeò ut fluidum effusum, etsi nil auctum, resorbere recusent. Hydrops autem celerior multò grassatur, quando fluida solito copiosiora effunduntur, dum simul languent lymphatica, et copiam ne quidem solitam resumere valent.

Effusioni igitur immodicæ, absorbentibus haud pari passu agentibus, aut resorptioni imminutæ, exhalatione nil præter solitum auctâ, aut binis simul contingentibus, causa hydropis proxima referenda est.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Quæcunque autem corpus infirmant, hydropi quoque obnoxium reddunt: exhalantia enim laxitatis universæ minimè expertia, fluidis vias ampliores concedunt, dum absorbentia vi istâ strenuâ, quam sana exercent, orbata, molem fluidorum immensam amovere ne-

queunt. Hinc quidem patet, ipsam debilitatem hydropem excitare valere: hoc forsan sæpè fit; quoniam verò plerumque agit morbo proclivitatem dando, causisque excitantibus auxilium præbendo, ut causa prædisponens potiùs habenda est.

Quæ autem vires plerumque frangunt, sunt, vita sedentaria; exercitium nimium; diæta parca, tenuis, aquosa; Venus immodica; liquorum ardentium usus assiduus; narcotica, ut opium, thea, coffæa, similiaque, immodicè sumpta; hæmorrhagiæ, vel excretiones aliæ profusæ; affectus animi deprimentes; senectus; morbi antecedentes, præsertim verò febres intermittentes et remittentes, quibus inveteratis sæpissimè superveniunt hydropes, partim à debilitate quam inducunt, enascentes, partim verò à viscerum obstructionibus quæ haud raro relinquuntur.

CAUSÆ EXCITANTES.

CAUSÆ excitantes, omnia quæ effusionem præter solitum promovent, vel resorptionem impediunt, includunt.

Quodvis autem sanguinis cursum impedit, exhalationem promovet; arteriæ enim partis, distentæ et excitatæ, ad obstructionem removendam summis viribus nituntur. Quoniam verò hoc minimè semper efficiunt, fluidorum copiam auctam per vasa exhalantia necessariò propellent. Sic quidem concretiones cordis polyposæ (si tales reverà sint), hydrothoracem genuêre; sic, materia ossea circum vasa magna deposita, quæ congestionem creat, vasorum contractioni obstando; sic agunt aneurismata et varices, ut et asthma, cui senescenti frequentissimè subit hydrothorax. Thoracis conformatio mala, pulmonum, inflammatio, tu-

bercula et ulcera, inter causas hujus morbi excitantes itemque enumerantur. Ad has autem accedunt aliæ, quæ hydropem universum inducentes, morbum de quo agitur quasi indirectè excitare videntur. Quæ hoc modo hydrothoracem inducunt, sunt hepatis, vel viscerum aliorum, obstructiones; urinæ secretio impedita; evacuationes solitæ intermissæ; halitûs cuticularis suppressio subita; forsan quoque humoris ex aëre externo resorptio; liquida frigida copiosè ingesta, præcipuè verò quando corpus præter solitum calet; morbi cutanei subitò retropulsi; denique quidem, exhalantium laxitas, quovis modo inducta.

Resorptio sanè imminuta, ex quâ interdum provenit hydrops, debilitati lymphaticorum originem plerumque debet. Quando autem rumpuntur vel obstruuntur, aut ipsa lymphatica, aut glandulæ conglobatæ per quas transeunt, viâ ad ductum thoracicum liberâ sic fluidis denegatâ, hydropem supervenire, dummodò accedant causæ prædisponentes, vix dubitandum est.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dyspnœa.—Dyspnœa molesta quæ hunc morbum semper comitatur, aquæ effusioni in saccos pleuræ tribuenda est. Aqua quidem distentionem pulmonum plenam inhibet; sic igitur aëris inhalationem ad hanc copiam quam systema exigit. Effusio quidem aut in cellulas aërias, aut textúm pulmonum cellularem, aërem arcendo vel sanguinis cursum impediendo, spirandi difficultatem forsan quòque crearet.

Pedum œdemata.—Fluidi effusi exudatio, ex partibus superioribus ad inferiores, dum erectus incedit ægrotans, hoc facit symptoma. Inferiora verò petit aqua, vias per telam cellulosam inveniens; hæc enim substantia ubique corporis invicem patet; positio quoque erecta sanguinis reditum ex inferioribus mo-

rando, congestionem effusionemque auctam efficeret; quibus etiam referri possit indicium jam dictum.

Urina parca.—Hoc quidem symptoma effusioni immensæ in partes hydropicas tribuendum est; hac enim exhalatione sanguis copiâ tam magnâ partium tenuiorum orbatur, ut vix manent quæ à renibus separari possunt. Urinæ, ut et aliarum secretionum diminutio, partim forsan enascitur ex debilitate insigni quâ semper stipatur hic morbus; ob hanc enim sanguis, per vasa minutissima secernentia, aut copiâ aut vi ad secretiones aptas constituendas necessariis, propelli nequit. Iisdem quidem referenda est secretio muci parca, quapropter semper arescunt fauces, sitisque vix satienda ægrotantes assiduè torquet.

Pallor faciei.—Debilitati quidem hoc signum originem debere, itemque putamus; cor enim et arteriæ languent, sanguinemque rubrum vasis minimis cutaneis tradere recusant. Color verò purpurascens quem, morbo senes-

cente, passim exhibet corporis superficies ex sanguine malè oxygenato exoritur: hoc autem fit, quia tam perturbatur respiratio, ex quâ tantoperè pendent functiones omnes aliæ, salusque generalis. Cutis equidem arescit atque rigida conspicitur, partim quia sanguis superficiem haud probè pervadit, partim verò quia halitus cuticularis supprimitur, ob effusionem in cava interna auctam.

Decubitus difficilis.—Quando supinus jacet ægrotus, viscera abdominalia, et aqua si abdomen teneat, descensum diaphragmatis liberum prohibent, adeò ut pulmones inferiora versus vix ampliari possunt; aqua autem saccis pleuræ insidens, distentioni eorum laterali ferè omninò obstat. Motum pulmonum tam coarctatum, spirandi difficultas statim excipiet, quæ situm erectum confestim exigit. Hac quidem positione quæ abdomini insunt, deorsùm inclinare solent, motumque diaphragmati faciliorem concedunt. Aqua quoque quæ cava thoracis tenet, septum transversum versus descendit, et amplificationem pulmonum

ex lateribus faciliùs sinit. Qui hoc malo laborant, in latus unum quàm alterum recumbere interdum malunt; sic quidem accidit quando thoracis cavo uno latex solùm insidet, tumque ægrotans lateri affecto inniti solet; sic enim recumbentis pulmonum unicus opprimitur, dum si in latus sanum innitatur, bini officio suo malè funguntur; sanus quidem pondere alterius et aquæ quæ mediastinum premit obrutus, alter verò fluido, quo scatet latus affectum, motu ferè prorsùs orbatus.

Subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio.—Hujus verò symptomatis quod hydrothorace ægrotantibus tantam molestiam affert, causa vix adhuc patet. Satis quidem probabile apparet, ex structurâ cordis vitiatâ tam sæpè cernendâ, plerumque provenire; cordis enim vitia semper ferè reperiuntur, quando secantur qui palpitatione diu cruciabantur, etsi hydrothorace prorsùs immunes. Quo autem modo mala cordi contingentia, palpitationem excitarent, minimè latet. San-

guinis sanè distributionem inæqualem reddunt; interdum enim fluidum vitale pulmones petens arcent; hinc citò præter solitum turget ventriculus cordis dexter, sinister verò per consensum patitur; ambo perturbantur, excitantur, et in actionem abnormem rapiuntur. Dyspnœa quidem simul urget, forsan quia quod palpitationem excitat, sanguinis circuitui per pulmones itemque obstaculo est. Eosdem ferè effectus contingere quando quodammodo turbatur actio aortæ vel ventriculi sinistri, verisimile est. Sin autem pondere aquæ quæ pericardio insidet, subitò obruatur cor, corporis positione mutatâ, palpitatio forsan insequetur; pariter (ut puto) oritura, quando eodem modo opprimuntur pulmones, adeò ut sanguis per hæc viscera ægrè impellatur. Pulsum quidem inæqualem, quo designatur morbus noster, ex cordis vitiis motuque sanguinis per pulmones difficili exoriri, manifestè patet.

PROGNOSIS.

Morbum sævum, quem tractamus, eventus lethalis plerumque quidem excipit. Quoniam enim à cordis vitiis anteà dictis tam sæpè oritur, nullam salutem expectandam, quia causæ excitantes tolli nequeunt, omnibus quidem constat. Quamvis enim semel iterumque evacuetur latex effusus, malum tamen magis magisque horrendum semper redibit, miserumque demùm conficiet. Quando igitur pulsus inæqualis, palpitatio sæva, indiciaque similia conveniunt, docentque cordis vitia suspicanda, prognosis semper infausta habenda est. Neque periculo magis immunes sunt qui hoc morbo decumbunt, aut ex asthmate, aut lymphaticorum rupturâ vel obstructione enato, difficillimè namque amoventur causæ istæ excitantes. Quum verò ascitæ ex hepate obstructo, orto, subit hydrothorax,

feliciora haud sunt speranda. Sin autem febrem morbumve alium acutum sequitur, dummodò viscera nil sustinerent injuriæ, ægrotusque non debilissimus evaderet, prognosis secundior danda est. Quando morbum creârunt pulmonum inflammatio, exinanitiones profusæ aliæve causæ enervantes, si vires non nimiùm exhauriuntur, spes convalescendi erit. Hydrothoracem sanè ex menstruis vel evacuationibus aliis solitis suppressis, provenientem, medico removere interdum contingit, postquam, suppressione remotâ, tolluntur causæ morbi excitantes. Quocunque autem modo inducitur malum, prognosis ex causarum remotarum naturâ, et morbi gradu sumenda est. Ubi violens est, neque remediis idoneis minimum quidem concedit, eventum lethalem fore judicamus, et hoc sanè compertum habemus, si contingerent paralysis, aut coma, aut delirium, aut hæmoptysis; hæc enim indicia mortem instare, denunciare solent. Postquam verò morbus leniorem induit formam, et medicinâ adhibitâ, sensim levatur, spes est ægroti vires peritiamque medici,

hanc pestem pellere insidiosam, tam sæpè insuperabilem, et quâ adversante, et natura et ars nimis eheu! sæpè frustrà conantur.

RATIO MEDENDI.

Medicum hunc morbum tractare incipientem, tres indicationes spectare oportet:

1*mò*, Causas morbi remotas tollere.

2*dò*, Fluidum effusum exhaurire.

3*tiò*, Morbi regressum præcavere.

Causæ quidem remotæ, priusquam morbus medici curam vindicaret, sæpè evanescunt; ubi autem adhuc durant, medici est summâ diligentiâ niti, ut has cognosceret atque amoveret, si fieri possit; hoc enim effecto, morbum istum dirum fugare speraret; sin autem frustrà conatur, mortem paulò diutiùs arcere

tantummodo poterit, malum enim ipsum nunquam expellet. Causæ sanè ipsæ remotæ jamjam recensitæ, medico ostendent quomodo utraque tollenda est, et quâ ratione mala ex singulis enata potiùs prævenirentur.

Attentione verò idoneâ huic indicationi adhibitâ, ad secundam tum perveniendum est.

Aqua quidem in thoracem effusa, exhauriri potest, aut directè, operatione *paracentesis* dictâ, aut actionem absorbentium excitando, atque simul excretiones varias serosas augendo, quibus modis fluida resorpta corpore eliciuntur, quæ retenta, per vasa exhalantia laxa partium quæ laborant, iterum vias sibi peterent morbumque intenderent. De his igitur seorsùm disserere præstabit.

Quibus morbi formis, aut quo tempore, potissimùm convenit paracentesis, haud inter medicos constat; sunt enim qui hanc operationem, non solùm nil boni efficire, sed semper nocere, summis viribus contendunt. Alii

autem inter remedia maximè fidenda, quibus hoc malum oppugnare possumus, ponunt. Quoniam verò pars longè maxima medicorum peritiæ suæ nimis fidens, et quasi invita, ne mundus putaret, morbum profligare non posse, ni ad operationem meram mechanicam recurreretur, omnia frustrà tentat citiùs quàm paracentesin juberet, operatione peractâ, quando jamjam morti traduntur ægroti; neque mirandum est si nil prodesset, neque jure culpanda utpote eventûs lethalis causa.

Gangræna autem paracentesin excipiens medicos maximè terret, et usui ejus generali impedimento summo est. Hinc quidem operatio adhibenda est priusquam ægrotantes mali extrema patiuntur; nam quò vetustior morbus, eò major ad putredinem proclivitas, et paracentesin sanè maturè peractam optima sæpè efficere, testimonia permulta habemus.

Quoniam verò remedia multa, quibus ad excretiones movendas utimur, hoc sæpè effi-

ciunt resorptionem promovendo, haud rei alienum erit de his nunc pauca dicere.

Post paracentesin, *Cathartica*, *Sudorifica* et *Diuretica*, sunt quæ, fluida è partibus affectis avertendo, contra hunc morbum potissimè valent. His alternè uti, et quæ maximè prosunt continuare, quidem convenit.

Diuretica verò hydrothoraci aptissima inveniuntur, et fortissima quidem præponenda sunt. Scilla maritima exsiccata, sub formâ pilularum adhibita, huic intentioni optimè accommodatur. Diuretica quidem leniora interdum laudata fuerunt, et hæc inter *supertartris potassæ* parcè et sæpè admota, summam acquisivit famam. Liberiùs verò data, et renes et alvum movet. Hinc forsan, evacuatione serosâ auctâ, usus ejus liberior præstat. Liquor, Anglicè *Gin punch* dictus, supertartrite potassæ acidulatus, plurimùm quoque pollet; secretionem enim urinæ promovet, et totum corpus excitando, resorptionem pariter quidem auget.

Digitalis verò usus ad hydropem sanandum nuper multùm increbuit; agit præcipuè urinam eliciendo; et exempla plurima narrantur, ubi hoc modo morbum prorsùs profligavit. Utpote admodum virulenta, primò quidem quàm parcissimè adhibenda est. Tincturæ ex hac medicinâ compositæ, guttæ sex vel decem, cum unciis aquæ menthæ piperitidis duabus, bis indiès sumptæ, primò sufficient; dosis verò posteà sensim augenda est, donec nausea vel vomitus indicat medicinam justo liberiorem admotam fuisse. Quando autem hæc mala usum ejus excipiunt, intermittenda est, neque resumenda donec turba quam movit prorsùs evanescit.

Omnibus quidem diureticis, diluentia lenia Cullenus anteponit, etiamque diluentibus quæ medicamenta varia soluta tenent, secretionem urinæ auctam omninò confert, falsò (ut putat) medicinis quæ solvuntur ascriptam.

Cathartica.—Ubi autem cathartica conve-

niunt, drastica plerumque præstant, systema enim excitant, resorptionem expediunt, fluidaque intestinorum optimè deplent. Sæpè quidem repetenda sunt, nam (utì CULLENUS monet) nisi ita adhibeantur ut resorptionem citò excitarent, corpus tantummodò debilitant, et effusionem in partes hydropicas auctam efficiunt.

Sudorifica.—At si sudorifica morbo aptissima videantur, continuari debent quamdiu ægrotus actionem eorum sustinere valeat. Sudor quidem generalis et copiosus eliciendus est, et post intervalla exigua subinde repetendus, iisdem de causis quas nuper cathartica tractantes dedimus. Pulvis ipecacuanhæ et opii cæteris hujusmodi medicamentis præstat. Adhibetur ex granis decem ad scrupulum, et quàm primùm sudorem movere incipit, diluentia quidem conveniunt, et medicinæ actionem multùm juvare solent.

Effectus sanè qui ex modis his variis morbum tractandi oriuntur, solummodò indicare

possunt, quæ potissimùm conveniunt, et quibus diutiùs uti medicum oportet.

Inter remedia quæ resorptionem expediunt, longè quidem eminet hydrargyrus. Quoniam obstrùctiones mirandum in modum sæpè tollit, isti hydropis speciei ex hac causâ enatæ maximè convenit. Inunctiones unguenti hydrargyri, vel submurias sub formâ pilularum, cum scillâ maritimâ exsiccatâ, vel aliis medicinis quibus utimur, conjungi possunt.

Ad aquam ex inferioribus deducendam, vesicatoria, fonticuli, incisiones similiaque sæpè adhibita fuerunt: quoniam autem in hydrope, inflammatio gravissima et haud raro gangræna ipsa vulnera quidem minima consequitur, horum remediorum usus nunc fermè abolevit. Fricationes autem partium quæ afficiuntur multò præstant. Perficiendæ sunt pannis laneis calidis, oleo camphorato aliisve stimulantibus subindè adjunctis. Hoc quidem modo sanguinis circuitus per partes hy-

dropicas expeditur, et vasa resorbentia gnaviter officio suo fungi excitantur.

At si plethora, evacuationibus solitis suppressis, aliisve causis exorta, morbo quem tractamus originem dat, sanguinem mittendum esse medici quidem consentiunt. Hac autem evacuatione cautissimè utendum est, et nunquam ubi alia remedia vices ejus explere possunt. Venæsectio sanè solummodò convenit, quando ingruunt prima indicia morbi; posthac adhibita, corpus infirmando plurimùm nocet; morbo enim provecto, verisimile est, nimiam vasorum plenitudinem ex quâ ortus est, exhalatione immodicâ jamjam sublatam esse. Si menstruorum suppressio vel evacuationis cujusvis quæ usu confirmatur, culpanda est, medici est summâ diligentiâ niti ut quàm primùm restituantur; hoc enim effecto, spes ferè sola morbum sanandi affulget.

Modis quibus explentur indicationes duæ priores dictis, nunc restat ut paucis absolve-

rem quæ conveniunt ad regressum morbi impediendum.

Nil quidem ad valetudinem magis confert quàm exercitatio, motum enim sanguinis accelerat, secretiones promovet, fluidorum congestionem tollit, totumque systema confirmat. Inambulatio verò omnibus gestationis modis præponenda est, si ægroti vires sufficiunt; si non, rheda vel navigatio convenit. Quocunque autem modo perfecta, exercitatio sanè lenis esse debet; nocet enim quando lassitudinem creat; sedulò tamen adhibenda est, sensimque pro viribus convalescentis augenda.

Si ventriculus languet et malè concoquitur, chalybe imbuta, cinchona et amara subindè danda sunt. Diæta verò concoctu facilis et nutritioni apta præstat, neque quidem alienus esset usus vini modicus. Frigoris applicatio evitanda est, et hoc quidem vestimentis crassis efficitur. Ubi his modis vires satis refi-

ciuntur, ut valetudo perfectissima evaderet, plurimùm quidem confert balneum frigidum.

FINIS